

X. Proximam igitur abhinc vicem inter privilegia sepulchri occupat concessa cuique sepulchrum constituendi licentia, quæ tria mihi limatiori perpendenda sistit operâ. Personam nempe constitutionis sepulchri capacem, locum ad sepulchrum habilem, & modum constituendi legitimum. Cuilibet itaque privato propriâ sepulchrum faciendi autoritate jus est. Et ita egregiam sortitur discrepantiam sepulchrum tanquam res aliqua religiosâ à rebus sacris & sanctis. Etsi enim rebus sacris quoque in Jure nostro non immeritò tribuatur religio sicut in lib. 2. §. 19. π. nē quid in loc. publ. Ulpianus peculiare assignat privilegium loco sacro propter religionem; Quia tamen res sacræ apertè & in mediâ Deo sunt consecratæ hinc à potiori denominatio desumpta & proprium ipsis quoad speciem tributum nomen, quò sacræ sunt vocatæ, quæ nihilominus genere ipso sunt & remanent religiosæ. Ut vero Res aliqua efficiatur sacra, publica quædam solenni ritu à Pontificibus vel aliis, qui sacris præsumt, facta consecratio, ministeriisque divinis dedicatio intervenire debet l. 6. §. 3. l. 9. pr. §. 1. π. & 2. & §. 8. Inst. de R. D. Neque sanctam privatam efficere posse rem vel ex eo patescit, quod illius essentia ex aliquâ oriatur sanctione, quâ ab injuriâ hominum defenditur. Adeoque in hisce duabus rerum speciebus privato omne amputam est votum, concessa e contra cuilibet largiter rem efficiendi religiosam, seu sepulchrum constituendi potestate. Præsuppositis tamen terminis habilibus, quibus constituens sepulchrum, debet gaudere dominio illius loci, in quò sepulchrum facere intendit. Huic enim nullum obijci potest impedimentum, quò ipse à factione sepulchri in proprio loco prohiberi queat. Exclusos itaque planè extraneos velim ab isto constituendi sepulchrum in loco alieno jure. Intelligo tamen hic per extraneos non tantum eos, qui de nullo penitus jure in illo loco sibi gloriari queunt, sed etiam, qui dominium quidem, etiam semiplenum, vel pro parte tantum habent. Quale vel in proprietariis, quorum sola proprietatis est, usufructus verò ejusdem alii consensus, vel fructuariis, (de quibus th seq.) qui solò, exclusâ proprietate alicujus loci, gaudent usufructu, vel plenariis quidem Dominis, duobus tamen loci communis pro indiviso existentibus, reperire licet.

XI. Pro-